14. Pene a chi parla di cose secrete fuori del Pregadi, o del Collegio.

1469 die 14. Januarij.

Cum introducta sit periculosa consuetudo, videlicet quod res, que tractantur, et deliberantur in nostro Consilio Rogatorum, de quibus mandatur Credentia, non teneantur secrete, immo extra Consilium ipsum referuntur, et propalantur cum detrimento, et dishonore non mediocri nostri Dominii. Sitque super hoc necessario procedendum. Vadit Pars quod postquam facta fuerit Credentia in Consilio Rogatorum, nemo extra partem ipsius Consilii, etiam si recederet in Consilio antequam mandaretur Credentia, possit, nec debeat aliquid dicere, seu loqui de ijs, que predicta facta, tractata, seu deliberata fuerint in ipso Consilio alicui, si quis velit, etiam si esset de ipso Consilio Rogatorum, vel de Collegio sub pena privationis per annos quinque, non possendo aliquo modo esse, vel venire ad Consilium Rogatorum; et ultra hoc cadat in penam Librarum quingentarum exigendam immediate per Advocatores nostri Comuni.

Preterea non possit aliquis contra facien, ut supra eligi Rector, aut officialis noster ad aliquam terrarum nostrarum, tam a parte Mari, quam terre usque ad annos quinque futuros. Et Advocatores quibus ita committantur, sub debito sacramenti teneantur inquirere de contrafacientibus, et procedere contra eos exigendo penas, sicut superius dictum est, et ad similem conditionem, et penam subiaceant illi de Collegio, qui extra ipsum Collegium alicui dicerent res secretas, tractatas, lectas, vel deliberatas in ipso Collegio.

Predictis quoque penis, et sincturis incurrant omnes de dicto Consilio Rogatorum, et de Collegio, qui scriberent extra Venetias res nostras de quibus foret commissa Credentia.

Quod supradicte parti capte in Consilio Rogatorum 1440 die 11. Augusti, nunc lecte, ita Consilio, super secretis Consilii Rogatorum, et Collegij non revelandis extra ipsum, additur, quod ubi est pena Librarum quingentarum, detur pena Librarum mille, quarum medietas sit accusatoris, qui teneatur secretus, et alia medietas nostri Comuni, et ubi inquisitio, et executio commissa est his Advocatoribus, ita etiam commissa sit Capitibus, et inquisitoribus CX. Et

quan-